

V
B J
C

MISSA
IN FESTO S. STEPHANI
Proto-Martyris. 3 Aug.

Introitus Psalm: 118.

SEderunt principes, & adversùm me loquebantur: & iniqui persecuti sunt me: adjuva me, Domine Deus meus, quia servus tuus exercebatur in tuis justificationibus.

Psalm: ibid. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. ℣. Gloria Patri &c.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari, quod colimus, ut discamus & inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum &c.

Et fit Commemoratio de Nativ.

Oratio.

COncede quæsumus Omnipotens Deus: ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet: quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet.

Pro Commemoratione OO. SS. Martyrum.

Oratio.

DEUS qui nos concedis Omnium Sanctorum Martyrum tuorum memoriam colere, da nobis in æterna beatitudine, de eorum societate gaudere. Per Dominũ nostrum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Actor: 6. c.

IN diebus illis: Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cùm autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatẽ lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jesu, súscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Graduale: Psal. 118. Sederunt Principes, & adversùm me loquebantur: & iniqui persecuti sunt me. ℣. Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam. Alleluja, alleluja.

℣.

℣. *Actor.* 7. Video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei Alleluja.

✠ Sequentia S. Evangelii secundùm Matthæum. *Matt:* 23.

IN illo tempore: Dicebat Jesus Scribis & Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, crucifigetis, & ex eis & flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, & Altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istã. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis àmodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in Nomine Domini. Credo.

Offertor. Act. 6. & 7. Elegerunt Apostoli Stephanum Levitam, plenum fide, & Spiritu sancto: quem lapidaverunt Judæi orantem, & dicentem: Domine Jesu, accipe spiritum meum, alleluja.

Secreta.

SUscipe, Domine, munera, pro tuorum commemoratione sanctorum: ut sicut illos passio gloriosos effecit, ita nos devotio reddat innocuos. Per Dñum.

De Nativitate Secreta.

OBlata, Domine, munera, nova Unigeniti tui nativitate sanctifica: nosqué à peccatorum nostrorum maculis emenda.

Pro Comm: OO. SS. Martyrum.

MUnera tibi Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro omnium tibi grata sint honore Justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Præfatio & Communicantes de Nativitate.

Communio Actor: 7. Video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei: Domine Jesu, accipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.

Postcommunio.

AUxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria: & intercedente Beato Stephano Martyre tuo, sempiterna protectione confirment. Per Dñum nostrum.

De Nativitate Postcom:

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor: ita & immortalitatis sit ipse largitor.

Pro Comm: OO. SS. Martyrum.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, intercentibus omnibus Sanctis Martyribus tuis, ut quod ore contingimus pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.



